



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De recta intentione ad Deum erigenda. XXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

deras & intelligis in te & in omnibus creaturis, totum Deo purè
& integrè offer & ascribe. Tunc pacem & quietem cordis inue-
nies in Christo, & non in aliquo bono creato, & implebitur in te
& de te, dulce & sanctum verbum Christi, ab eo in monte prædi-
catum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Cui laus *Mat. 5.*
honor & gloria ab omni creatura, in secula seculorum. Amen.

CAPVT XXXI.

De recta intentione ad Deum erigendâ.

1. **O** *Culi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo* *Psal. 24.*
pedes meos. In omni cogitatione, locutione, & operatione
tua, habeas semper rectam & puram intentionem ad Deum; vt
omnia facias ad laudem & gloriam & honorem Dei, & proximi
ædificationem. Ipse est causa omnium bonorum meritorum, at-
que largitor æternorum præmiorum. Ipse principium & finis o-
mnium operum tuorum esse debet, ne perdas fructum laborum
tuorum. Si memor fueris terribilium iudiciorum Dei, non vanè
gloriaberis.

2. Pessima pestis vana gloria, & velle laudari foris ab omnibus.
Hoc vtique vanissimum est, & superbię signum, gratię Dei con-
trarium. Quid ergo facies, & in quo confides & sperabis? Non in
te, nec in homine, nec in aliqua re mundi, nec in stellis cæli: sed
in solo creatore Deo tuo, qui fecit te, & habet te, & omnia creata
simul in manu & potestate sua sine onere & adiutore. Dic ergo, &
ora cum David in psalmo: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam*
ipse euellet de laqueo pedes meos. Et iterum: *Domine ante te omne de-* *Psal. 37.*
siderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

3. Relictis ergo vanis rationibus & consilijs hominum, in cun-
ctis necessitatibus tuis, potius cum precibus & sanctis desiderijs,
recurre confidenter ad Dominum Deum tuum; quoniam ipse
est, qui euellet de laqueo pedes tuos, vt non mouëaris à recta via
virtutis & vera humilitate, sed stes fixus in Deo vsque in finem.
Omne opus bonum propter Deum factum, lætificat conscientiam,
illuminat mentem, & ampliorem meretur gratiam. Omne autem
malum opus, mœstificat agentem, & maculat famam bonam, &
impedit diuinę consolationis influentiam. Qui aliquid propter
vanam gloriam facit, elationis vento lucernam extinguit: & qui
propter mundum agit & apparere appetit, citò Deo irascente in
lutum cadit. Non ergo læteris in aliqua felicitate huius mundi,
quemadmodum stulti; sed sta semper in timore Dei, & cognitio-
ne fragilitatis tuę. Frequens lapsus & facilis error tuus docebunt
te humiliter & viliter de teipso sentire.

4. Neminem velis in hac vita nimis laudare, quia nescis, qualis sit quisque futurus. Nec temere iudices cadentem, quia potest Deus citò erigere flentem. Pro omnibus ora, & omnes Deo committe. Esto vilis in oculis tuis, vt fias magnus coram oculis Dei, qui humiles respicit, & altos à longè cognoscit, & subito proster nit. Si ab hominibus despiceris, & alij tibi præponuntur, ne tristeris nimis; quia melius & securius est humiliari cum mitibus & simplicibus, quàm à Deo reprobari cum diuitibus & elatis. Cave laudari, time magnificari; erubescere honorari, fuge reputari, quare latitare. Elige Deo vacare, sacris lectionibus & deuotis precibus sedulò immorari. Non est sine laude & honore, qui propter Deum spernit laudes & honores. Nec est sine solatio diuino, qui omnia huius mundi gaudia reputat pro nihilo; & omnia sibi cõtraria sustinet libenter pro Christo, & quotidie anhelat esse cū eo in caelo.

CAPVT XXXII.

Oratio humilis & contriti spiritus.

Psal. 24. & 122.

AD te Domine leuasi animam meam, qui habitus in caelis. O Domine Deus, qui omnia prouidè ac iustè disponis in caelo & in terra, cum Angelis & hominibus & omnibus creaturis tuis: accipe pro magnis laudibus & gratificationibus tibi debitis, omnes tribulationes & angustias cordis mei, in vera contritione peccatorum meorum tibi modò oblatas. Conuerte mihi omne malum in bonum, & bonum semper in melius, pro gloria nominis tui & anime meae aeterna salute. Tu scis omnem infirmitatem meam, & magnam ignorantiam meam, atque quotidianam instabilitatem memoriae meae; quàm citò vagor huc illuc, longius à te sapissimè. Parce mihi Domine, secundum multitudinem miserationum tuarum, & reduc me citius ad te. Conserua cor meum apud te, in deuota oratione & sacra meditatione, die ac nocte, quantum mihi est possibile in hoc fragili corpore.

2. Cupio placare benignissimam faciem tuam, muneribus sacris et precibus, et præcipuè tribus pauperum obolis, contritione cordis, confessione oris, & satisfactione humilis operis. Domine Deus meus summè amabilis, memento mei pauperis; quia homo humilis, non angelus sanctus; peccator magnus, non innocens; tepidus orator, non feruidus contemplator. Et ideo nec auditor tuus: nec inter deuotos oratores debeo computari, nec videri, nec nominari. Domine mi charissime, accepta sit mi obsecro humilis oratio mea, & amara contritio peccatorum meorum, pro dulci cantu & iubilatione Angelòrum, & concordia laudatione omnium caelestium ciuium supernorum. Veruntamen